

DE

C. CAECILIO PLINIO MINORE

DIALOGI DE ORATORIBVS AVCTORE

DISSERTATIO.

SCRIPSIT

JOSEPHVS IMMANVEL KRAMARCZIK

RATIBORIENSIS.

HAGIOPOLI,

EX OFFICINA J. C. DOELLII & C. BRVNNII.





[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Jam ante hos decem annos, quum sodalis essem seminarii regii philologici Berolinensis, quod moderantur Boeckhii et Lachmannus, quos honoris causa nomino, dissertationem scripsi, qua Plinium dialogi de oratoribus auctorem esse demonstrarem. Decennio praeterlapso quum plerosque eorum, qui Taciti libris recensendis explicandisque operam dederunt, ad eam viderem sententiam accedere, cuius praestantissimus recentioribus temporibus patronus Ad. Gottl. Langius,¹⁾ scholae Portensis tum professor, exstitit, paucos admodum de Tacitina dialogi origine dubitare: operae pretium facturum me esse existimavi, si, quantum in me esset, refutatis Langii aliorumque argumentis falsam illam opinionem convellerem virosque doctos si non omnes, at eos tamen, qui rei ipsius rationi plurimum tribuere solent, ad eam sententiam traducerem, quam primus protulit Nastius,²⁾ amplexi sunt Frotscherus,³⁾ J. Adam Schaeferus,⁴⁾ singularibus denique scriptionibus probare studuerunt Frid. Hessius⁵⁾ et Aug. Wittichius⁶⁾ Wirtembergensis. Brevem omnium sententiarum, quae ex renatis in Italia antiquarum litterarum studiis de dialogi nostri auctore latae sunt, recensum Fr. Aug. Ecksteinus exhibuit in libello, quem inscripsit: *Prolegomena in Taciti, qui vulgo fertur, dialogum de oratoribus praemittique annalibus scholae latinae gymnasii Halensis a. 1835. iussit.* Qui viri docti quum de

-
- 1) Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus. Vid. C. Cornel. Taciti dial. de or. rec. E. Dronke Proleg. pag. XVI. sqq.
 - 2) Deutsche Uebersetzung. Halle 1787.
 - 3) Vid. ad Quint. Inst. or. lib. X. c. 3. §. 22.
 - 4) Vid. Doederleini Lccion. Horat. decad. p. 17. quam notitiam Ecksteinio debeo.
 - 5) Dissertatio de C. Caecilio Plinio minore Dialogi de oratoribus auctore, inserta Nov. Annalium Paedagogii Magdeburgensis continuationi sextae. Magdeburg, 1831.
 - 6) Ueber den Verfasser des Dialogus de Oratoribus. Vid. Ann. phil. et paed. ed. Jahn. Tom. suppl. V, Fasc. II, p. 259. sqq.

multis iam rebus, quae huc pertinere viderentur, copiose et accurate egissent, hanc mihi ipse legem scripsi, ut omissis, quae aliunde cognosci possent, ea tantum exponerem, quae aut ab aliis minus recte disputata essent prorsusve neglecta, aut a me afferri opus esset, quo maior rebus fides, orationi perspicuitas accederet.

Jam in exordio disputationis meae primum videtur is locus constituendus esse, quem Wittichius p. 259-266. uberrime tractavit, utrum dialogus vere sit habitus, an totus ex ingenio auctoris profectus, deinde dicendum de aetate, qua fuerit scriptor, quum pertractantes quaestionem de suae aetatis oratoribus disertissimos homines audiret, denique de tempore, quo dialogum de oratoribus scriptum esse probabile sit.

Prima quaestio est illa quidem perdifficilis et lubrica, quippe quae in certo argumento nitatur prorsus nullo, attamen ita comparata, ut ad verisimilitudinem adduci posse videatur. Id quidem facile concedent omnes, potuisse eius generis disputationem a disertis illis hominibus, Curiatio Materno, M. Apro, Julio Secundo, Vipstano Messalla haberi, materia enim sine dubio in promptu erat et satis trita. Quodsi re vera interfuit unquam eiusmodi sermoni auctor dialogi, quidni memoriae eum haud ita veteris recordationem repetivisse credamus? Itaque non assentior equidem Wittichio dialogum dicenti totum ex ingenio scriptoris profectum esse. Omnis enim sermo veritatis speciem habet ab eoque exordio ductus est, quod scriptor, si id tantum egisset, ut Justi Fabii percontationi responderet, profecto non sumpsisset. Magna enim dialogi pars — eam dico, quae capp. 5-13. continetur — in eo versatur, ut diiudicetur, utrum eloquentia an poësis maiorem afferat aut dignitatem aut utilitatem aut delectationem. Quae quum ita essent, haec mihi maxime probabilis sententia visa est, auctorem dialogi memorem sermonis aliquando habiti eam in scribendo viam iniisse, ut servato fere ordine disputationis eorum, quos loquentes induxit, sententias referret, suam ipse non dissimularet. In qua re Ciceronis sine dubio exemplum secutus est, qui et ipse in libris, qui inseribuntur de oratore, eloquentissimos aetatis suae homines disputantes introduxit ita, ut formam sui quisque et animi et ingenii redderet, nihilo minus tamen suas de arte dicendi sententias exprompsit. Fuerunt sane, qui Plinium, quum eo tempore, quo dialogus habitus fingitur, annum ageret tertium decimum, vel admodum iuvenem se vocare vel doctissimorum hominum gravissimo sermoni tanto cum fructu interesse potuisse negarent, ut eorum sententias intelligeret memoriaeque teneret. In quibus miror Ecksteinium quoque esse, quum is, quae contra dici possent, probe cognoverit atque his verbis

exposuerit p. 47: „Tunc id miraris, aiunt fortasse, illum tredecim annorum tantorum virorum consortio usum esse, qui quarto decimo aetatis anno tragoediam graecam scripserit (Epist. VII, 4, 2.), vixdum adolescentulus Quintiliani et Nicetae Sacerdotis scholas frequentaverit (Epist. II, 14, 9. VI, 6, 3.), Livium adolescentulus legerit (Ep. VI, 20, 5.) et undevicesimo aetatis anno in foro dicere coeperit (Ep. V, 8, 8.).“ Sed de sollertia praecocique ingenio Plinii infra disseram accuratius, hoc autem loco de aetate exponam, quae in eum, qui admodum iuvenis dicatur, convenire videatur. Ipse enim auctor dialogi cap. I. disertissimos homines eandem quaestionem, quam in libello suo proposuit, pertractantes iuvenem admodum se audivisse scripsit. Addo verba; quae sequuntur: „Ita non ingenio, sed memoria ac recordatione opus est, ut, quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, — iisdem nunc numeris iisdemque rationibus persequar servato ordine disputationis.“ Ex his verbis apparet, auctorem dialogi, quum haberetur sermo, aetate et pro rei gravitate et pro temporis spatio, quod disputationem et scriptionem interessit, tenera fuisse et remota. Neque igitur id tantum spectandum est, quot fere annos nati a Romanis vel iuvenes vel admodum iuvenes aut dicti sint, aut omnino recte dicantur, sed in hac quidem quaestione omnia sunt ad eam conditionem referenda, qua fuit is, qui sermoni virorum illorum disertissimorum interfuit. Mutata enim condicione mutari etiam significationem verborum quis est qui neget? An non possunt, qui trigesimum aetatis annum agentes amplissimos honores adepti sint et qui tredecim quatuordecimve annos nati pro rostris defunctum aliquem laudaverint, iidem iuvenes admodum ad magnas res obeundas accessisse recte dici? Neque tamen triginta annorum hominem, si quem defunctum pro rostris laudaverit, admodum iuvenem quisquam dixerit. At id ipsum plerique eorum, qui de auctore dialogi egerunt, parum videntur perspexisse: cuius rei causam quum in aliis rebus, quas exquirere non est huius loci, tum in eo positam esse censeo, quod vim, quae utrique voci subiecta esset, non accurate perpendentes iuventutis spatium certo quodam annorum numero circumscripserunt, admodum adverbii potestatem ad opinionem temere conceptam aliquam accommodarunt. Quamobrem locos aliquot elegi, quibus vera utriusque vocis significatio intelligeretur. Ac primum quidem hoc velim omnibus, qui haec legent, persuadere, iuvenis nomen et adiectivum et substantivum Romanis fuisse; deinde eandem fere potestatem habuisse, atque adolescentem et adolescentulum, ut tamen maius quiddam nonnunquam significarit; tum

admodum vocis significationem constituam; postremo vel duodecim annorum puerum iuvenem admodum vocari potuisse probabo. Tac. Ann. I, 3: Germanicum — asciri per adoptionem a Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis. IV, 3: Ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis afferebant. Plin. Ep. IV, 17, 6: Ille denique in omnibus officiis nostris, quamquam et imbecillus et senior, quasi iuvenis et validus conspiciebatur. Ovid. Met. VII, 295: Admonitus iuvenes nutricibus annos posse suis reddi petit hoc Aetida munus. Colum. VII, 3: iuvenis ovis. Plin. H. N. VII, 36, 36: Cornelia enim iuvenis est et parere adhuc potest. Tac. Ann. III, 16: Utinam ego potius filio iuveni, quam ille patri seni cecisset! Plin. Ep. IV, 15, 6 et 10, ubi idem iuvenis et adolescentulus adhuc dicitur. Cf. Ep. IV, 27, 6. Hand. Tursellin. Tom. I, p. 168: „Ac primum **admodum** adicitur adiectivis et adverbis, quorum significationem repleta notione determinat, ideoque quodammodo auget, et eandem vim addit, quam per praebet in compositione verborum pergratum, peradolescens. Nos dicimus gar et ziemlich. Ubi substantiva hoc modo ponuntur, ea pro adiectivis habentur, aut ex adiectivis facta sunt, veluti iuvenis, puer, adolescens. Ceterum parum refert, utrum particula post suum vocabulum obtineat locum, an ante.“ Cf. exempla ad h. l. allata. Pergit ille p. 171: Peculiarem usum efficiunt vocabula iuvenilis aetatis, in quibus explicandis interpretes non omnes accurate versati sunt. Admodum adolescens proprie is dicitur, in quo multa adhuc est adolescentia, quique ab adolescendi fine longum abest. Is etiam adolescentulus appellatur et peradolescens. Cic. p. lege Man. 21, 61. Conf. Dodwell. Annal. Quintil. 3. p. 1120. Burm. Beier ad Cic. de offic. 2, 13, 47. Schwartzius in Monum. ingen. 4. T. p. 340. quum hanc formulam ad significationem particulae, quantum modus rei postulat, revocandam censet, omisit notare descensus rationem, ne quis admodum iuvenem intelligeret hominem ad iuventutis finem provectum.“ Cf. exempla. Ecksteinius idem fere iudicavit p. 37: „Admodum particula — cum iuvenilis aetatis vocabulis coniuncta propriam eorum vim imminuit.“ Neque vero plane concedo, quae in eadem pagina testimoniis in ed. Tac. p. 224. allatis confici putavit, unde iuvenes intra septimum decimum et vicesimum quartum vel quintum annum versantes eo nomine intelligi pateret. Quominus autem assentiar viro doctissimo, cuius multum alioqui valet apud me auctoritas, quum rei ratio ipsa, quae certos quosdam annos iuventutis notione comprehendi continerique

vetat, tum satis multa exempla impediunt, quibus minor aetas aperte indicatur. Aferam unum, quod quum dubitationem habeat, ut recte dicam, nullam, per se videtur satis aptum esse ad demonstrandum id, quod supra exposui. Legitur locus ille Tac. Ann. lib. XII, c. 25, ubi C. Antistio, M. Sullio cons. adoptio in Domitium (Neronem) festinata traditur auctoritate Pallantis his fere verbis Claudium stimulantis: „Consuleret rei publicae: Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud divum Augustum, quamquam nepotibus subnixum, viginis privignos: a Tiberio super propriam stirpem Germanicum assumptum. Se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro. His evictus biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eundem, quem a libertino acceperat, modum.“ Juvenem igitur Tacitus dixit Domitium, quem Suetonius Ner. c. 6. a. u. 790 (p. Chr. n. 37.) duodevicesimo Kalendas Januarias natum esse memoriae prodidit. Fuit igitur Nero, quo anno Claudius eum in nomen familiae suae ascivit, tredecim puer annorum, siquidem adoptio et consulatus duorum illorum virorum in annum urbis incidit 804 (p. Chr. n. 51.), aut duodecim annorum, si consules fuerunt C. Antistius Vetus et M. Suillius Nerullinus a. u. 803 (p. Chr. 50.), quae ratio fastis consularibus Romanorum ad fidem optimorum auctorum recognitis ab Jo. G. Baitero (Ciceronis op. omnia ed. Orellius vol. VIII.) convenit ac Lipsii auctoritate confirmatur, qui ad Taciti l. l. sive Suetonii sive librorum errorem quendam sustulit. Utut res se habet, quam aliis relinquo disceptandam, hoc certissimum videtur, Neronem sive tredecim sive duodecim annos natum a Tacito dici iuvenem. Quidni Plinius tertium decimum agens annum iuvenis admodum haberi vocarique et ab aliis et a se ipso potuerit? Neque tamen scripsit ea aetate dialogum Plinius, quod Baehrius 7) non satis caute affirmavit, neque omnino sexto imperii Vespasiani anno dialogus scriptus est, quod Pabst. 8) Eclog. Tacit. p. XXIII. pro certo habuit. Nolo

- 7) In historia litterarum Romanarum §. 267. ubi haec habet: „Ungewiss ist der junge Verfasser des Dialogus de oratoribus s. de caussis corruptae eloquentiae aus dem sechsten Jahre der Regierung des Vespasian“ et annot. 9. ubi de Nastii sententia haec leguntur: „Dieser Ansicht zufolge müsste Plinius in einem Alter von 12-13 Jahren den Dialog geschrieben haben.“
- 8) Der dialogus de oratoribus, welchen Tacit. in seiner frühern Jugend geschrieben hat, wurde in früher und neuester Zeit dem Tacit. abgesprochen „quibus haec annotavit:

longus esse in refutandis his sententiis, quibus qui accederent, eos vel occaecatos prorsus vel opinionibus praeiudicatis irretitos esse Ecksteinus p. 37. recte dixit. Sed idem vellem Pabstium et Orellium et quos habent opinionis suae socios, in eorum numero virorum posuisset, quos sententiam de Tacitina dialogi origine quamvis a se non accuratius exploratam probasse constaret aut plane eorum auctoritate, quae in Taciti vel Ciceronis libris explicandis maxima est, in hac re diiudicanda, cui non multum operae dedissent, prorsus nulla, uti noluisset. Multis enim saepe hominibus clarorum virorum auctoritas aciem animi praestringit, ut quae luce clariora sint, dispicere non valeant. Unde plerumque evenit, ut error, in quem magnus aliqui vir inductus sit, longe lateque diffundatur ac velut semina futurorum errorum spargantur. Quae cogitatio saepenumero mihi obiiciebatur in hac re exploranda versanti, quae per se non admodum difficilis est, sed ab iis, qui lucem afferre sibi videbantur, multis est difficultatibus obstructa. Jam igitur desinant, qui ad hunc vel illum auctorem dialogum referant, virorum doctrina clarorum auctoritatibus sententias suas probare atque argumentis potius disputationibus suis fidem afferant. Item, qui ex scriptis libris cognoscere auctorem dialogi velint, argumentorum vim ac pondus ex nominum fama et gravitate pendere dedignentur. Apertum est autem, ut redeat oratio, unde deflexit, non eo tempore dialogum conscriptum esse, quo habitum esse auctor finxit. Neque paucis eum annis post compositum esse ex postremis capituli primi verbis facile perspicitur. Attamen a Lipsii aetate usque ad nostram fuerunt, qui stili diversitatem a iuvenili aetate, qua Tacitus dialogum conscripsisset, repetendam putarent.⁹⁾ Quorum commentum quam sit ineptum, ipsis Ecksteinii verbis probare liceat, qui pag. 37. haec scripsit; „Nam primum auctor ubi dicit se iuvenem admodum illorum sermoni interfuisse, accurata temporis significatione efficitur, ut de pluribus annis ex illo tempore praeteritis cogitemus necessario. Si enim pauci interiecti fuissent, non opus fuisset illud indicare, praesertim cum ad amicum scriberet, quem talium rerum caeteroquin notitiam habuisse non dissimile est veri. Neque Fabius Justus, talem disputationem ubi cognoscere voluisset, iuvenem excitasset ad eam litteris perscribendam, sed expetivit id haud dubie a

Er wurde geschrieben im sechsten Jahre der Regierung Vespasians, V. dial. c. 17. vgl. mit c. I. iuvenis admodum audi.

9) Vid. Baehr l. c. et quem laudavit, Schulzium prolegomen. p. XXII-XXVI.

peritissimo viro. Et mortui erant, ut videtur, Aper et Secundus, qui celeberrimum ingenia fori appellantur, et huic purum et pressum et profluentem sermonem non defuisse significatur“ etc. Idem vir eruditissimus Domitiani tempore librum compositum esse certum existimat; utrum vero sub eodem editus, an propter periculosum tempus ad Nervae et Traiani imperia reservatus sit, discernere non audet. Neque sane certi quiequam de hac re constitui potest; verum tamen perpensis accurate eis, quae Ecksteinus p. 38. et Wittichius p. 286. attulerunt, nemo facile dubitet, quin extremis demum imperii Domitiani annis liber conscriptus et exstincto iam tyranno editus sit.

His praemissis iam adversus Langium mihi in certamen descendendum est, cuius argumenta gravissima habentur. Ac primum quidem in codd. mss.¹⁰⁾ auctoritate nititur. Est ea quidem per se spectata non parvi facienda, sed controversiam non dirimit. Quis est enim, qui mortuae ac languidae chartae testimonium eloquenti et clamanti quasi scriptoris voci praeferat? Nostris certe temporibus eiusmodi fundamenta, nisi idoneis rationibus confirmentur et quasi contineantur, infirmissima censentur, quod vel multae illae de auctore dialogi dissertationes probant, quas qui scripserunt plane insulsi stultique recte dicerentur, si codicum auctoritate res confecta esset. Alterum argumentum e verbis Pomponii Sabini petitur carmini de obitu Maecenatis ascriptis hisce: „Corn. Tacitus appellat scripta Maecenatis *calamistros*.“ Exstat autem ea vox, quam diductis litteris describendam curavi, in dial. c. 26. At non maior huius grammatici, quam editionum antiquarum auctoritas est. Vixit enim, quod Langium fugerat, saeculo quinto decimo et a. MCCCCXCVII. vel MCCCCXCVIII. mortuus est. Vid. Eckstein. p. 64.

Gravissimum vero argumentum et Langius et omnes fere recentiores dialogi editores Plinii minoris epistolam noni libri decimam esse sibi persuaserunt et omni legentibus asseveratione venditarunt. Opus est igitur, ut epistolam integram transcribam.

C. Plinius Tacito suo S.

Cupio praeceptis tuis parere; sed aprorum tanta penuria est, ut Minervae et Dianae, quas ais pariter colendas, convenire non possit. Itaque Minervae tantum

10) Sunt illi Farnesianus, Neapolitanus, Parisinus, tres Vaticani; in Florentino, quem laudavit Langius, dial. non legitur.

serviendum est, delicate tamen, ut in secessu et aestate. In via plane nonnulla leviora statimque delenda ea garrulitate, qua sermones in vehiculo seruntur, extendi. His quaedam addidi in villa, quum aliud non liberet. Itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas. Oratiunculam unam et alteram retractavi; quamquam id genus operis inamabile, inamoenum, magisque laboribus ruris, quam voluptatibus simile. Vale.

His verbis Langius necessario respici putat ad scriptum aliquod Taciti, in quo inter nemora et lucos commodissime perfici poemata dixerit; quumque verba illa simile aliquid habeant eius sententiae, quae in dial. cap. 9.¹¹⁾ legitur, dialogum significasse Plinium et Tacitum dialogi auctorem esse testimonio suo comprobasse credit. Tam ridiculum tamque ineptum commentum putares nemini unquam placuisse, attamen Spaldingius¹²⁾ olim Langio de hoc invento gratulatus est, certatim nuper multi viri docti aliusque alio gravius atque ornatus sagacitatem eius praedicarunt. Verum enim vero nisi vehementius laborarent, quod tandem nomen libello inscriberent, in errorem se duci passi non essent, qui manifestus mihi quidem videtur. Dictum enim Taciti e libro aliquo petitum Plinius non tam leviter neque, opinor, sine ulla libri laude tetigisset, certe iisdem, quibus Tacitus, verbis usus esset. Comprobatur id argumentum dial. c. 9. verbis: ut ipsi dicunt, quae si recte interpretamur, contra Langium faciunt. In dialogo enim dictum poetis ipsis, in epistola Plinii Tacito tribuitur. Omnino nulla causa est, cur verba illa in Taciti libro aliquo, non in epistola, cui Plinius repondet, lecta esse credamus. Cui sententiae si quis artius adhaereat, exquirat mihi ponatque ante oculos eum Taciti librum, in quo Minervam et Dianam pariter colendas esse scriptum legatur. At ne quis in eo investigando desudet operamque perdat in graviore re collocandam, mihi

11) „Adiice, quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, prelinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda caetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est.“ Recte improbavit Ecksteinus Langii sententiam, cui haec quatuor verba: id est in solitudinem tamquam insititia suspecta fuerunt. Respondent enim ad amussim iis, quae leguntur in c. XI: nemora vero et luci et secretum ipsum tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem.

12) *Schriften der Berl. Acad. der Wissenschaften.* 1806.

credite, qui haec legetis, non in alio loco illa Tacitum praecepisse, nisi in eadem illa epistola, in qua inter nemora et lucos commodissime perfici carmina scripsit. Ne tamen rationes, quibus Langius opinionem suam defendere conatus est, neglexisse videar, singulas iam videamus. „Ita, inquit p. XIX. ed. Dronkianae, quae apud Platonem in Charmide p. 155. D. ed. St. de Critia¹³⁾ leguntur, ὁς εἶπεν ἐπὶ τοῦ καλοῦ λέγων παιδός, ἀλλὰ ὑποτιθέμενος, εὐλαβεῖσθαι μὴ κατέναντα λέοντος νεβρὸν ἐλθόντα μοῖραν αἰρεῖσθαι κρεῖσσον, quis non videt ea non ex ore, sed ex scripto aliquo carmine Critiae repetita esse.“ Sane id intelligit, quisquis poëticam orationem a soluta discernere didicit, sed quid tandem loco citato demonstratum est? Num quis εἶπεῖν verbum pro scribendi verbo in usu fuisse negavit? Nos certe et a iis et putas scriptam in epistola quidem, non in libro, at scriptam tamen indicare sententiam affirmamus. Neque vero necessario his verbis et quae sunt eiusdem generis, ad scriptum aliquod respici res est ita non dubia, ut exemplis recte supersedeamus. Cur autem verba illa Plinii ad librum aliquem ac non ad epistolam Taciti referenda sint, plane ignorare me ingenue fateor. Demonstravit igitur allato exemplo Langius, quod nemo facile negaverit, εἶπεῖν a Graecis pro γράφειν in usu fuisse, nihil amplius.

Pergit ille p. XX.: „Propius etiam ad nostri exempli similitudinem accedunt, quae apud Cic. Verr. IV., 12. leguntur: „Iste autem Hannibal, qui in suis castris virtute putaret oportere, non genere certari.“ In his iterum sensus quemque suus docebit significata esse quaedam in hanc sententiam de Hannibale perscripta. Et felici quidem sorte accidit, ut ea adhuc exstant apud ipsum Ciceronem pro Balbo c. 22. Propius accedere dicit vir optimus, quod immane quantum ab eo differt, quod demonstrare voluit. Equidem nisi hominem vel prudentissimum nonnunquam labi et errare nihil demonstratum video. Planum sane et perspicuum est, Ciceronem ea non ex Hannibalis ipsius ore audivisse, sed ex scriptore aliquo cognovisse. At enim demonstrandum erat, verbis illis necessario respici ad scriptum aliquod Hannibalis. Namque ita demum propius ad nostri exempli similitudinem accederent, quae apud Ciceronem leguntur. Aliud est enim de Hannibale, aliud a Hannibale perscribi. Jam igitur argumentum cur primum in hanc rem prolatum sit et quid sit in eo momenti patebit. Ceterum non est, quod

13) Immo de Cydia. Cf. Stallb. ad h. l.

contra eos, qui scriptam illam epistolam non a Plinio, sed a Tacito existimant, dicam.

Quarto argumento Langius leviter admodum defunctus est. Per temporum enim rationes Tacito commodissime tribui dialogum satis ab aliis demonstratum ratus ipse in eam rem inquirere noluit. Atque id ipsum si egisset, perversam illam opinionem non imbibisset atque gloria ex commento illo parta maiorem quandam et diutius mansuram adeptus esset. Incredibile est enim, quantas concitarint perturbationes, qui tenebris, quae natalibus Taciti offusae sunt, diffundendis operam navarunt. Haud enim pauci fuere, qui e dialogo aetatem Taciti eruere non dubitarent. Vid. Schulzii prolegomena et Baehrii l. l. Recentioribus tamen temporibus diligentius fere viri docti in vita Taciti describenda versati sunt et quae ante hos decem annos aut incerta habebantur aut ignorabantur, nunc iam complurium studiis explorata sunt nec facile a quoquam in dubitationem vocantur. Satis erit igitur, causas breviter indicare, quibus adductus iis assentiar, qui Taciti natalem annum inter quinquagesimum secundum¹⁴⁾ et quinquagesimum quartum interfuisse censent. Memoriae prodidit Tacitus Hist. initio dignitatem suam a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, Ann. XI, 11. sub Domitiano praetura se functum esse; consulem autem a. 97. cum fuisse Plinii locus Ep. II, 1. documento est. Quodsi honores suo tempore assecutus est, annum agens trigesimum quartum praeturae, novem decemve annis post consulatum iniit; quaesturam autem a Vespasiano, aedilitatem vel tribunatum plebis a Tito accepit. Quam iniecit Wittichius p. 269. de hac re dubitationem, eam Agricolae exemplo Waltherus Tom. I. p. IX. reiecit. Apte cum his conveniunt, quae Plinius Ep. VII. 20. scripsit: „Erit rarum et insigne, duos homines, aetate propemodum aequales, nonnullius in litteris nominis (eogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico) alterum alterius studia fovisse. Equidem adolescentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo et esse et haberi concupiscebam,“ unde octo vel decem annis maiorem Plinio Tacitum fuisse colligi licet. Quod enim Waltherus dubitavit, num propemodum aequalis alteri recte statueretur, qui decennio integro eius aetatem antecederet, in eo ne Ecksteinius quidem haerendum putavit,

14) Idem sine dubio Ecksteinius typis exscribi voluit pro eo, quod p. 68. legitur quinquagesimum et q. q.

ac recte quidem. Quis est enim, ut exemplo rem illustrem, qui eadem de nostri aevi ingenii Goethio et Schillero dici posse neget, quorum tamen natales decem annis distare inter omnes constat. Ergo si a. p. Ch. 54. natus est, quum dialogus haberetur a. 74. vel 75, annum fere agebat unum et vicesimum, si vero a. 52. natus est, annum aetatis vicesimum tertium habuit. Jam videant, qui Tacitum dialogi auctorem esse affirmant, quomodo aetas illa cum iis conveniat, quae cap. II. scriptor de se ipse dicit. A me quidem certe nunquam impetrabunt, ut Tacitum, quem Plinio adolescentulo gloria iam ac fama floruisse et duobus annis post sermonem habitum ab Agricola, viro clarissimo, generum assumptum esse sciam, eundem ut credam auribus et ore in magistro defixis oratores domi et in publico assectatum mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuveni, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperet. Nonne puerilia ista esse et aptissime in Plinii et ingenium et aetatem congruere videntur? Tacitum vero iuvenem ita dissimilem eius fuisse, quem e scriptis et Plinii testimoniis cognovimus, quid cogit nos ut credamus? Immo gravis atque eloquens ille historiarum scriptor et rerum humanarum aestimator non aetate factus est, sed ingenio a natura dato, cuius indicia iam pueri prae se ferunt. Non negligenda denique ratio aetatis Messallae, qui quum a. 71. nondum senatoria aetate ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam adeptus esset (Hist. IV. c. 42.) a. 75. ad summum duodetriginta annos compleverat. Quis tandem sibi persuadeat Tacitum sex septemve annis minorem natu ad pedes Messallae consedissee vere tacitum utque discipulum audivisse de eloquentia disserentes, quam plerique his annis iam summa cum laude exercebant, quod quidem de Plinio constat. Is vero „adolescentulus Tacitum, cum iam fama gloriaque floreret, sequi, ei longo, sed proximus, intervallo et esse et haberi concupiscebat.“ Plin. VII, 20, 4. Verisimillimum est igitur Tacitum sermoni non interfuisse. Non minus est probabile, quod Hesseus coniectura assecutus est, neque ante compositam Julii Agricolae vitam scriptum esse, neque paulo post. Tacitus enim, inquit p. 34, ipse satis demonstrare videtur, nihil a se prius quam soceri sui vitam editum esse. Haec enim sunt eius verba: (cf. vita Agricol. cap. III. extr.) „Pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit, vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testi-

monium praesentium bonorum composuisse.“ (Cf. Wittich. p. 274.) „Neque verisimile videtur Tacitum, postquam ad componendas historias incumbere coepit et onus sibi ipse gravissimum imposuit, rursus ad alias res animum appulisse.“ p. 35. Considerantibus haec accuratius, quam a plerisque adhuc factum est, difficultas illa non iam explicanda videbitur, dictionis dico dissimilitudinem, quae Lipsium, acutissimum ingenii Tacitini existimatorem permovit, ut ab alio scriptore libellum compositum esse iudicaret. Permulti eius sententiam secuti sunt et qui dissentire ab eo maluerunt, levibus quibusdam ac temere arreptis argumentis ad tollendam difficultatem usi sunt, quorum unum iam supra commemoravi. Quod enim veteres illi critici dictitarunt, iuvenili fervore Tacitum ad laetam, uberem, vivam orationem incitatum esse, nostrae aetatis homines qui habentur doctissimi et diligentissimi probaverunt, in qua re illud profecto mirum est, quod, qui Langii commentum illud magno cum plausu exceperunt, Orellius, Pabstius, alii, eundem virum non audierunt, quum diceret p. XXIV. ed. Dr.: „Aetatem nolim urgere, nam ab homine iam maturioris aetatis scriptum esse librum ipsa praefatio docet.“ Cf. Eckst. p. 75, qui sano usus iudicio leve ac falsum istud argumentum respuit. Amplexus est autem alterum, quod ab adversariis Lipsii assumptum Orellius imprimis spectavit: „aliud dicendi genus in orationibus, aliud in dialogis, qui vulgarem sermonem referrent, requiri;“ neque hic in genere dicendi ullam aliam discrepantiam a Taciti stilo reperit atque eam, quae necessario intercedere deberet inter scriptum oratorium et historica. Ille vero plane rem confecisse se opinatus est eo loco allato, ubi iisdem se numeris iisdemque rationibus et disputationis ordine servato omnia se persecutum esse dicit, quae inter colloquendum perceperit memoriaeque mandaverit? p. 75. At quis tandem, qui Taciti ingenium ex historiarum libris spectaverit, tantopere unquam a sua sentiendi, cogitandi scribendique ratione recedere aut potuisse aut voluisse sibi persuadeat? Quid est enim, cur is, qui teste Plinio Ep. II, 11, 17. eloquentissime apud iudices praesente Imperatore, nibilo minus tamen, quod eximium orationi eius inerat, *σεμνῶς* (quo nomine Dionysius Halicarnassensis Thucydidis genus scribendi praedicat) dixerit? Non novi equidem, neque alius quisquam, opinor, causam ullam inveniat, nisi eam, quam supra protuli. Ne tamen difficilior iusto ac pertinacior videar adversariis meis, sit ita, ut dicunt, do libenter et concedo voluisse scriptorem in sermone ipso alienum dicendi genus sequi, non suum, voluisse alienam sibi imponere personam. Cur, quaeso, primis duobus capitibus non suum dicendi genus sequi

voluit, sed alienum? Cur amici hominis percontationi respondens alienam sibi personam imposuit? Nonne in his quoque perspicuitas illa inest et acquabilitas et elegantia? Ad haec mihi respondeant, si possunt, prudenter et accurate et ingenue, qui Langii partes sequuntur. Verum ne identidem ad aetatem, qua dialogum Tacitus scripserit, vel ad argumenti indolem recurrant; ne quid cumulatis vocum dictionumque Tacito et dialogi scriptori communium exemplis effici arbitrentur; ne, quem vidimus, quo tempore dialogus compositus est, quadragenarium fere fuisse, recentem ex rhetorum scholis et ex oratoriis studiis ad dialogum nostrum se accinxisse sumant, quasi Tacitus iuvenili quodam ardore specimen quoddam docilis aptique ad optimas artes ingenii dare voluerit. Ne contendant sentiendi cogitandique rationem Tacito convenientem in dialogo inveniri. Nam quae afferuntur similitudinis exempla, ea non Taciti proprium quendam sensum produnt, sed communem omnium, qui student honestati, probitati, virtuti, omnium qui salutis publicae et libertatis curam habent. Omnino eius generis exempla eam tantum vim habent, ut idoneis ad probandum argumentis cumulum aliquem afferant, ipsa per se parum valent. Itaque ne extra praescriptos huius opusculi fines egrediar, satis est eos, qui haec legent, ad Hessei dissertationem p. 24. sqq. relegare, qui accurate hunc locum tractavit.

Jam si argumentatione mea illud perfectum est, ut neque aetati neque ingenio Taciti ea, quae scriptor dialogi composuit de seque ipse commemoravit, convenire videantur, facile legentibus Plinium dialogi de oratoribus auctorem esse probabo. Cuius sententiae causas gravissimas quum ab aliis praeoccupatas viderem, id potissimum egi, ut quibus argumentis Ecksteinus novissimus adversarius Plinianam originem impugnavit, iis refutandis opinionem, cuius me defensorem esse professus sum, sustinerem atque confirmarem. Hic non possum non exponere rationem, qua Ecksteinus, quem diligentem alias et accuratum in ponderandis argumentorum momentis cognovimus, in Pliniana origine refutanda versatus sit. Causas enim, quibus suam de Tacitina dialogi origine opinionem firmare se putavit, iisdem non constans sibi ad Plinianam originem comprobendam quicquam effici negavit. Jam igitur causas, quibus universam dialogi rationem Tacito convenire probaret (p. 68.) eundemque prae multis maxime idoneum fuisse, qui de eloquentia iudicium ferret, (p. 70.) invenisse ille quidem sibi visus est, sed quae Hesseus in eandem rem protulit, non magis cum movent, quam orationis similitudo cum Pliniana non solum in universa forma, sed etiam in singulis locutionibus consentientis. Totam scilicet disputationem hanc anci-

pitam et lubricam non ignoravit. Atqui idem operosas illas minutias, quas dicit (p. 80.) multas in dialogo locutiones, quae Taciti propriae viderentur etc. praetermittere nefas esse duxit, cum plurimam in eis auctoritatis positum esse omnes iudicavissent, qui Taciti partes defenderunt. Quid plura? Omnino cupidius eum et confidentius de hac re iudicasse quis videat, qui libellum eius non praedudicata opinione legerit et ipse iam in eo sum, ut demonstrem. Ac primum quidem „Plinium, inquit, tredecim annorum vel admodum iuvenem se vocare vel doctissimorum hominum gravissimo sermoni tanto cum fructu interesse potuisse, ut eorum sententias intelligeret memoriaque teneret, nunquam mihi persuadetur.“ De aetate iam supra p. 4. sqq. dictum est. Superest, ut de intelligentia et memoria Plinii dicam, quam cur tam angustam tamque infirmam Ecksteinius habuerit, assequi non possum. Plinius enim cum a puero, id quod satis constat, non solum ipse discendi cupidissimus litterarumque amantissimus, sed etiam ab avunculo dies noctesque ad discendum et excerptum impulsus esset¹⁵⁾ eoque tempore Quintiliani et Nicetae Sacerdotis scholas frequentaret: eam profecto tum et ingenii sollertiam et memoriae vim habuit, ut sententias sermonis intelligeret memoriaque teneret. Nam sermo etsi potest gravissimus dici, quem quidem disertissimi homines de rebus gravibus instituerint, tamen non ita fuit subtilis et ad percipiendum difficilis, ut sollerti praeditus ingenio adolescentulus sequi eum non potuerit. Argumentum enim dialogi in antiquorum et recentiorum oratorum diversitate exponenda et in causis eius conquirendis versatur.¹⁶⁾ Eaedem fere res et quae sunt eius generis sine dubio a Quintiliano magistro saepe in disceptationem vocabantur et declamationum et disputationum materiam discipulis

15) Plin. Ep. III. 5: Repeto me correptum ab eo, cur ambularem. Poteras, inquit, has horas non perdere. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur.

16) Haec fere leguntur ap. Eckst. p. 24. Pergit ille: „Quam disputationem, ut rite et ordine procederet, scriptor in tres partes divisit, quarum in prima (c. 5-13.) de eloquentiae et poësis dignitate quaeritur, in altera (c. 16-24.) de discrimine illo, quod inter antiquos et recentiores intercedere in oculos incidat, disputatur, tertia denique causas affert, cur eloquentia fracta et imminuta sit; harum primam in depravata liberorum educatione positam esse docetur c. 28-33., alteram in mutatis exercitationum generibus (c. 33-35.), tertiam vero in libertate amissa et reipublicae forma conversa (c. 36-41.).“

praebant, ad quam opinionem facile adducatur, qui librum de causis corruptae eloquentiae a Quintiliano compositum esse cognoverit. Cur igitur dubitemus, num Plinius tredecim puer annorum de eloquentia disserentes intelligere potuerit? Credo equidem difficilium multo esse ipsum orationem habere, quam habitam ab alio intelligere, si quidem sententiae sint non nimis obscurae ac reconditae; attamen Octavianus duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit et Tiberius novem natus annos defunctum patrem pro rostris laudavit. Cf. Suet. Aug. c. 8. et Tib. 6. Neque nostris temporibus tredecim annorum pueri, qui quidem cum Plinio conferri possint, sine magno aliquo fructu disertissimos homines de eloquentia disserentes audiant aut ipsum hunc dialogum in vernaculam linguam conversum legant. Certe Wielandium et Hemsterhusium, ne dicam de aequalibus, quarto decimo aetatis anno graviore ac subtiliore sententias percipere atque altioribus etiam studiis artibusque se dedidisse ex eorum libris colligitur, qui vitas illorum scripserunt. Quodsi tantum valuit ingenio, ut argumentum colloqui sequeretur, idem profecto memoria custodivit, quae juvenili aetate firmissima esse solet. Quod autem Boettcherus, quem laudavit Ecksteinus, id, quod ex eo memoriae mandasset, stilo exprimere eum non potuisse dixit, me non intelligere fateor, nisi forte dialogum paulo post, quam habitus esset, conscriptum putavit. Sed eam opinionem iam supra refelli. Neque eget demonstratione mea, emendationem Schultingii¹⁷⁾ ab Hesseo temere probatam reiiciendam esse. Jam igitur ab aetate Plinii et ingenii memoriaeque imbecillitate causas, cur sermoni interesse non potuerit, repetendas non esse apertum est.

Altera causa, cur Plinius dialogum scripsisse videatur, in eo nititur, quod Justo Fabio inscriptus est, quem nisi ex epistolis Plinii non novimus. Exstant ad eum duae epistolae, quarum ex altera (VII, 2.) intelligimus Justum Fabium scripta Plinii desiderasse. Quid? si eidem amico requirenti, cur eloquentia descivisset a vetere gloria, hoc ipso dialogo Plinium respondisse censemus, num temere et imprudenter iudicamus? An verisimilius est, ex Tacito non multo ante, ut videtur, Romam reverso Justum saepe requisivisse, cur eloquentia degenerasset? Mihi quidem Plinius videtur, ut aliis amicis scripta desiderantibus, ita Fabio requirenti misso hoc libello respondisse. Flagitabant scilicet amici vel propterea, quod iucundas gra-

17) Legendum is coniecit c. 17: secutam iam felicitatis huius principatus stationem.

tasque ei flagitationes esse probe nossent. Atque id ipsum, quod auctore et impulsore Fabio Justo scriptor hunc librum se composuisse significavit, ita prope accedit ad Plinii consuetudinem, ut, si quis ea re moveatur, non eum temeritatis quisquam recte coarguat. Loci autem huc pertinentes hi fere sunt: I, 1. I, 8. II, 5. II, 19. III, 13. IV, 14. IX, 2. Accedit, quod ea fuit Plinio facultas scribendi et cogitandi ratio, ut librum ab eo conscribi potuisse nemo sanus negaverit. Sententiam, quae dialogo inest, non obscure expressam habes in Ep. VI, 21.: Sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Conferas etiam cum iis, quae ep. IV, 16. VI, 11. VII, 20. IX, 23. leguntur, ea, quae sunt in dial. cap. 7. de oratoris gloria, quibus verbis laudis cupide appetentem se prodidit, quod ne eos quidem fugit, qui ad Tacitum auctorem dialogum referunt. Doederleinius quidem in eam rem haec dixit in Mus. Rhen. III, 1. p. 16.: „wie Aper's Panegyricus auf den Rednerberuf mit allen seinen kleinlichen Eitelkeiten an manche ähnliche Aeusserung des jüngern Plinius erinnert.“ Plura eius generis si quis desideret, adeat Hesseum p. 3. et Wittichium p. 287. Neque vero de orationis similitudine cum Pliniana consentientis fusius agam. Quis est enim, qui, nisi magna conficiat volumina, universam orationis Pliniana formam tam accurate describat, ut iis persuadeat, qui ipsi in eam rem non studiose ac diligenter inquisierint. Quamvis vero intelligam et ipse, quod Ecksteinus monuit, quam sit anceps et lubrica disputatio, quae singularum dictionum similitudine nitatur, tamen multum in ea re momenti positum esse censeo. Orationem enim longe plurimi homines, ne si cupiunt quidem, variare ac mutare possunt, et ut sua cuique ingenio forma est, ita sententiis uniuscuiusque propriae quaedam voces ac dictiones. Quamobrem omnium minime credibile est, Tacitum eo dicendi genere usum esse, quo dialogus splendet. Est sane subtili aurium et ingenii iudicio opus, ut eiusmodi aut diversitatem aut similitudinem cognoscas et multi saepe in diversas partes discesserunt. Sed qui nihil huic rei tribuat, non magis audiendus est, quam qui nihil non effici congerie vocabulorum putet. Multa sunt, ut exemplis utar, in Goethii libris, quae aliter scribi non potuisse videantur, nonnulla, quae praeter eum nemo Germanus scripserit. Usitatissimis fere vocibus ille quidem utitur, sed tamen propriae quaedam Goethio sunt, et si qui imitatione ducti eas assumpserint, ut apud Eckermannum nescio quo loco dictionem illam Goethianam sich etwas zurecht legen translata significatione usurpatam me invenire memini. Ita nonnunquam inventum in recensionibus

sine nomine scriptis adverbium anjetzt P. auctorem mihi quasi digito monstravit. Est qui magnis voluminibus semper fere quapropter scripserit, paene nunquam quare vel quamobrem. In dialogo ipso c. 23. Ciceronis illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum esse videatur irridetur. Itaque non alienum erit a re proposita, verba quaedam indicare, quibus et Plinius et dialogi scriptor mirum in modum delectati sint. Saepissime et Plinius et auctor dialogi (in primo cap. quinquies) nomine ingenii usi sunt. Cf. Plin. Ep. 1, 3, 5, 1, 13, 1, 16, 1, 20, 2, 13, 3, 5 (bis), 3, 7, 4, 3, 11, 4, 8, 4, 13, 12, 4, 15, 4, 18, 4, 20 (ter in brevissima epistola), 4, 27. et lib. VI, qui eo nomine maxime abundat. Saepe item invenitur hercule interiectio. Cf. dial. 1, 3; 8, 8; 14, 5; 21, 3, 6; 26, 1, 2; 30, 4; 34, 7; 39, 5. Plin. Ep. 1, 20, 4, 2, 14, 3, 4, 1, 6, 19, 6, 30, 7, 24. Plura non deerunt operosius quaerenti. Apud Tacitum vox, ni fallor, bis tantum et quidem Ann. 1, 3, 17. legitur. Denique requirendi et concupiscendi verba apud Plinium et in dialogo non raro reperiuntur. Ne quis tamen in afferendis his exemplis tam numerum quam vim ac potestatem, qua ingenium et ratio scriptoris propria indicaretur, spectasse me putet. Ipsa enim illa verba ingenium, requirere, concupiscere Plinii sensum animumque quodammodo depingunt et illustrant. Quum igitur externa auctoris indicia suspecta sint, ex ipsius scripti indole de auctore coniecturam facere nos consentaneum est. Huc pertinere arbitror eam rationem, quae a Plinii aemulatione Ciceronis ducitur, quae ex aliquot epistolarum locis perspicitur. Ep. 1, 5, 12. Regulo eam ipsam exprobranti respondisse se scribit: „Est mihi cum Cicerone aemulatio nec sum contentus eloquentia nostra. Nam stultissimum credo, ad imitandum non optima quaeque proponere.“ Ep. III, 15, 1.: Petis, ut libellos tuos legam: adiciis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse. Ep. IV, 8, 4.: Te quidem, ut scribis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod M. Tullius angur fuit. Laetaris enim, quod honoribus eius insistam, quem aemulari in studiis cupio. Cf. praeterea Ep. V, 3, 5. VII, 4. et IX, 2. Jam quis credat in Tacitum potius quam in Plinium ea cadere, quae Ecksteinus p. 75 sq. scripsit? „Tum manifestum est, unde aperta Cicero-nianae imitationis vestigia orta sint, tum unde universae orationis forma.“ Cum his conferenda sunt, quae allatis imitationis exemplis adicienda putavit p. 79: „Quae quidem similitudo certo iudicio singula ponderanti magni momenti esse debet. Etsi Tacitus omnium primum scripsit dialogum eo tempore, quo totus erat in forensi labore (?), tamen non ita magnum temporis intervallum inter hunc libellum et Agri-

colam Germaniamque potuit interesse, ut diversissima dictionis forma inde explicetur.“ Quam is omnia ad suae causae commodum torquet nec tamen suis ipse dubitationibus explorata occurrit, nimirum quod res ita comparata est, ut vix ac ne vix quidem iis probetur, qui et sincere et prudenter agere solent. Sed redeo ad Ciceronem et scriptorem dialogi. Uterque ab amico rogatur, ut de re aliqua proposita scribat, uterque difficultate exposita opus aggreditur. Vid. Cic. de or. I, 2. in. et dial. cap. I. Mira Apri cum Antonio similitudo perspicitur e Cic. de or. II, 1, 4. et dial. c. 2. §. 4. Etiam sententias invenias utrique communes. Cf. Cic. de or. I, 8, 31 et 32. cum dial. capp. 5. 6. 7. Plures praeceptorum et rerum et hominum similitudines collegerunt Klossmannus (Prolegomena in dialogum de oratoribus. Vratislaviae, 1833.) p. 4 et 5 et Eckstein. p. 76-79. Recte igitur, quod mihi eodem fere tempore in mentem venit, Hesseus Plinium Ciceronis aemulatione ad scribendum dialogum commotum esse statuit. Quum enim orationes et epistolas et carmina scripsisset, rhetoricum quoque librum aliquem ad imitationem Ciceronianorum componere voluit.¹⁸⁾

Vidimus igitur Plinii amico librum esse inscriptum, congruere cum dialogo eiusdem aetatem, dictionem, totam denique cogitandi sentiendique rationem; Tacitinae vero origini praeter codicum manuscriptorum editionumque veterum auctoritatem nihil non repugnare. Itaque non dubium est, quin Plinio dialogus addicendus sit. Nam quae incredibilia Ecksteinus p. 51. dixit, quibus sententia nostra repudiaretur, ea non minus incredibilia videri debent, si Plinius dialogi auctor non fuit, ut recte iam Wittichius p. 290. monuit. Quod enim is, qui Euphraten et Artemidorum philosophos et Quintilianum artis rhetoricae magistrum coluisset et beneficiis affecisset, Aprum et Secundum nunquam in epistolis laudavit, eo maiorem nobis admirationem movere debet, quo magis eos ut Gallos Plinio Comensi cognitos fuisse probabile est. Sed nisi laudes virorum illorum propterea, quod in alio iam libro et hoc quidem dialogo honorifica eorum mentio facta esset, omissas esse cum Wittichio statuere malumus, in eo id situm esse existimandum est, quod multis annis ante scriptas epistolas mortui sunt.¹⁹⁾ Idem valet de Materno, quare miror Ecksteinium in eo potissimum

18) Historias quoque scribere et Cicero et Plinius sibi proposuerunt, uterque a proposito destitit.

19) Cf. Masson vit. Plin. ad ann. CVII. §. 3. 5., ubi haec sunt: „— hoc quidem mihi certum videtur, Plinii epistolas variis et forte simul sex septemve libris edita non fuisse,

offendisse, quod Plinius „de Materno ne verbum quidem dixit, quamquam eum multis annis ante epistolas scriptas occisum esse constat.“ Omnium minime incredibile duxisset, quod in dialogo nihil de Tacito dictum esset, si considerasset, qualem ipse iuvenem tum fuisse Tacitum sibi finxisset, eum videlicet, qui M. Aprum et Julium Secundum, celeberrima tum ingenia fori, in iudiciis non utrosque modo studiose audiebat, sed domi quoque et in publico assectabatur mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperet.“ Ergo aut clarus orator tum iam fuit, aut nondum fuit. Hoc si verum est, honorifica in dialogo mentio eius fieri non potuit; sin illud conceditur, non potest auditor auctorque recte haberi.

Quod autem adiungit nihil de se ipso Plinium dixisse, id nisi eam vim habet, ut nomen eum dialogo inclusisse neget, nullam habet. De se enim dixit, si quidem librum scripsit, initio. Nomen vero ut includeret in dialogum, quid eum impellere debuit, nisi forte providit et praesensit fore aliquando magnam de auctore dialogi dissensionem.

Denique mirationem eidem adversario excitavit, nunquam hunc dialogum a Plinio in epistolis commemoratum esse, qui omnia sua et minima amicis enarraverit. Concedendum id quidem, quoniam titulus libri in epistolis non invenitur. Sed multos libros non addito titulo vel argumento in epistolis commemoravit.²⁰⁾ Quidni igitur in epistola ad Tacitum scripta, quae est libri quarti tertia decima²¹⁾ vel in libri octavi tertia²²⁾ dialogum significatum esse existimemus? Haec fuerunt, quae contra Ecksteinium dicenda putarem, cuius argumentis occurrere singulis non praetermisi, quod paratissimum eum adversarium cognossem, quem si ad partes meas traduxero, aliquantum me profecisse hac scriptione mihi videbor.

nisi cum iam Plinius maximam vitae partem ab urbe Roma in secessu ageret, amplissimis magistratibus ac etiam imperio provinciali ante functus.“ Vid. Baehr, §. 285.

20) Vid. Ep. IV, 26.

21) Pauculis adhuc diebus in Tusculano morabor, ut opusculum, quod est in manibus absolvam.

22) Librum, quem novissime tibi misi, ex omnibus meis vel maxime pfacere significas. Est eadem opinio cuiusdam eruditissimi.

Sed restat una difficultas, quam equidem non expediam, expediet; si quid video, nemo unquam, nisi nova quaedam adiumenta e tenebris in lucem erocabuntur. Quare coniecturis abstinere, quam acuminis gloriolam quandam captare satius duxi. Est autem difficultas in eo posita, quod ignoramus ac ne coniectura quidem, quae in certa quadam re nitatur, assequi possumus, quomodo factum sit, ut manuscriptis codicibus Taciti nomen inscriberetur. Quod quamquam movere vehementius neminem debet, quum multos saepe librarios temere et imprudenter in negotio suo versatos esse satis constet, tamen si quis non sine idonea causa id factum esse putet neque Plinii librum Tacito supponi potuisse, quin fraudem odorarentur sive errorem corrigere prudentiores: simillimum ei ac novissimum exemplum propono, quod ex ephemeridibus litterariis, quae a Brockhausio bibliopola Lipsiensi eduntur, (Blätter f. lit. Unterhaltung. 1840. N. 13. p. 51.) cognovi. Narrat ibi nescio quis Koertium, qui Alberti Thaerii vitam scripsit, auctorem esse, dissertationem illam de educatione generis humani non a Lessingio, sed a Thaerio scriptam esse. Talia si possunt nostra aetate evenire, iam non in eo quisquam haerebit, quod Plinii libro Taciti nomen inscriptum est.